

XCIV. AQVAE STATIELLAE (*Acqui*). *Tribu Tromentina.*

Steph. GAVOTUS Savonensis, qui saeculo decimo quinto exeunte auxit Marcanovam (v. p. 771), ex Aquis Statiellis octo titulos rettulit f. 127, quorum quattuor primum descriptis praescripsit 'repertum Aquis Statiellorum in lapidibus dum ampliarentur moenia', quattuor alias post tempus in margine adiecit. — Deinde quosdam ibi descripsit MATTIUS (1598). — Post eum tituli Aquenses neglecti iacuerunt per saecula quique per ea tempora non perierunt, inde ablati sunt alii Taurinos testibus Zaccaria (1754) Torrioque († 1784), alii Casalium; nam quos ibi in domo sua exposuit EUASIUS DECONTI († 1799; Rivetta Casale p. 29), eorum potiores cum constet Aquis advectos esse, omnes rettuli inter Aquenses. — Sequuntur Franciscus TORRE († 1784), cuius versavi collectanea de rebus Aquensibus (cod. bibl. reg. Taurin. n. 358, item cod. univ. Taurin. O. IV. 15, qui auctus manu aliena pervenit ad a. usque 1787), et Vincentius MALACARNE. Hunc supra (p. 778) dixi parum fidum auctorem esse, debuimusque quaedam eicere ab eo primum relata. Guido denique BIORCI (*antichità e prerogative d'Acqui-Staziella* tom. 1. 2. Tortona 1818. Appendix 1820. 4; vidi Aquis exemplum auctoris cum additamentis quibusdam scriptis) quae proponit, ex parte hausit ex schedis quibus caremus, potissimum opinor Iohannis Baptistae MORIONDI. Nam Moriondum, a quo edita 'monumenta Aquensis' (Taurinis 1789. 1790. 4) reliquias epochae Romanae non comprehendunt, etiam corpus titulorum Aquensium et agri Aquensis aetatis Romanae elaborasse probabile est propter ea quae inde affert Biorcius 1, 57. 108; sed schedas eius hodie periisse quaerenti mihi respondit memoriarum vetustarum regni Pedemontani omnium maxime gnarus Dominicus Promis Caroli frater. Ceterum Biorci ipsius quamquam fidem non impugno, insunt in Biorcianis quae displiceant, nec satis scimus quatenus grassatae sint fraudes Malacarniana.

Statielli (sic Plinius 3, 5, 47 et alibi passim) sive Statiellenses (sic M. Brutus apud Ciceronem ad fam. 11, 11) sive Statelli (sic aes Vespasiani vol. III p. 853: *L. Ennio L. f. Tro. Feroci Aquis Statiellis*, item Peutingerana: *Aquistateli*) sive Statellates (sic Liv. 42, 7, 3. c. 8, 5) valles Orbae et Bormidae olim tenuerunt; nam M. Brutus cum III non. Maias castra habuisse Dertona, die sequente scribit *ex castris finibus Statiellensis*. Saepe nominatur oppidum eorum *Aqua Statiellae* (sic Strabo 5, 1, 11, ubi codd. *ακονδία στατιελλά*, deinde *διακονει στατιελλέα*; Plinius 31, 2, 4; inscriptio urbana apud Kellermannum vig. n. 205: *L. Vettio*

*L. f. Optato Tro. Aquis Statiellis et infra n. 7506) sive Aqua Statiellae (vide supra) sive *Aqua Statiellorum* (Plinius 3, 5, 49) sive *Aqua* nude (sic in titulo Mogontiacensi Brambachii n. 1185: *Sex. Naevius Sex. f. Trom. Aquis*, item in itinerario supra p. 827). Cives dicuntur *Aquenses Statiellis* in titulo n. 7153. Ante deductam Dertonam coloniam an eorum quoque territorium Statiellorum fuerit, nescimus; nam ex eo, quod in Veleiate fuit *pagus Statiellus* passim nominatus in tabula alimentaria Traiani, id tuto colligi nequit. *Oppidum Carustum in agro Statellati*, quod Statellatis post diutinam pacem ad rebellionem coactis et ad id oppidum devictis a. u. c. 581 a Romanis excisum esse Livius 42, 7. 8 scribit, ubi fuerit nescimus. — *Aqua* oppidum adhuc manet nomine vix mutato propter aquas suas calidas hodieque celebratum. Praeterea non solum via, quam a M. Aemilio Scauro a. u. c. 645 stratam Dertona ad Vada postea partem factam esse vidimus primariae viae Iuliae Augustae (p. 827. 828), per Aquas transiit, sed etiam altera via nescio quo tempore munita est Aquis Taurinos, per quam et hi et universa regio Transpadana iungerentur cum mari Tyrrhenico. Eam viam describit sola tabula Peutingerana sic: *Aquistateli* (turribus appictis) — X [immo XXX minimum] — *Alba Pompeia* — . . . — *Potentia* — XXXV — *Augusta Taurinorum* (turribus appictis). Ad eandem viam pertinent Ravennatis haec (4, 33 p. 271): *Albis* — *Potentia* — *Pollentino*. Eam viam apertum est M. Brutum tenuisse persequentem M. Antonium ad Mutinam devictum. Nam M. Antonio a Vadis iter ingresso Pollentiam, nempe per Tanari vallem, cum ipse Dertona per Aquas iter faciens de hostium itinere eo tempore certior factus esset, quo XXX m. p. a Vadis aberat, mutato itinere Pollentiam pergens hostes una hora praevenit (Cicero ad fam. 11, 14, 4; cf. Philipp. 11, 6, 14). Scilicet eodem itinere quod tenuerat regressus ad Aquas inde hanc de qua agimus viam ingressus est occupataque ita Pollentia Antonium coegerit relictam Italia in Galliam abire per Alpem maritimam (p. 828), cum is, si Brutum ad Pollentiam prævenisset, et Taurinis potitus fuisset et via per Alpem Cottiam. — Non mirum igitur imp. Domitianum cum comitibus suis in aliqua expeditione hic substitisse (n. 7506). — Tribum Aquensium Tromentinam fuisse tituli et supra citati et infra relati ostendunt. — Municipium *Aqua* appellantur n. 7153; cf. n. 7516. De forma autem rei publicae parum erudimur titulis, qui non habent nisi pontificem n. 7515, augurem n. 7515, VI viros Augustales Flaviales n. 7509. 7511, VI viros n. 7510.*

## 7504 Aquis Statiellis.

P·VIMIVINVS·L·F·CLARVS  
DORMINO·ET·SVETAI  
V·S·L·M

Servavit Gavotus in auctario Marcanovae Genuinae f. 127 inter postea adiectas.

## 7505 Aquis disotterrato nel recinto dell' orfanotrofio BIORCI.

GENIO  
P·N  
THALIVS  
THALIO·AGATHIO  
LIB

Biorci 1 (1818), 47.

2. 3 P·N | THALIVS traditur.

7506 lamina aerea rotunda diametri c. unc. 2 cum foramine et clavo ei foraminis inserto longo unc. 2. Rep. a. 1759 prope Aquas Statiellas in alveo rivi Meri et ab Intendente generali Carlevaris dono data municipio BARTOLI BARUCCHI. Rep. Aquis ante paucos annos TORNES. Taurinis in museo antiquitatum BARUCCHI. Ibidem extat.


5	O	STATIELLA	<i>foramen</i> <b>EX·COMITATV</b> <b>IMP·DOMITIANI·AVG</b> <b>GERMANICI</b> <b>AB · AQVIS</b> <i>punctum scripta post</i> <i>tempus adiecta sunt</i> <i>in spatio antea ea-</i> <i>cuo relicto</i>
---	---	-----------	--

Contuli. Bartoli ms., cui misit a. 1759 Ioh. Franc. Viglijno; Torre ms.; Malacarne *ozj letterari* 2 (1787), 121; Biorci Aequi 1 (1818), 57, citans schedas Moriondi; Barucchi act. Taur. 31 (1827), 2, ubi datur aere expressa.

5 O sive littera sive non littera certa est, puncta autem, quae post et ante eam visuntur, easu videntur accessisse.

Cf. similem tabellam n. 6964.

## 7507 Aquis videtur reperta (v. praef.). Est Casale in aedibus Contiorum.



Contuli. Ed. Rivetta Casale p. 36.

## 7508 Aquis trovata l'a. 1787 in un fondo della mensa vescovile adiacente al castello dalla parte di mezzogiorno MALACARNE. Trovata nel 1788 nel prato del Vescovo verso la strada pubblica che conduce al giuoco del Pallone con monete, una colomba di vetro, uno specchio di rame cet. BIORCI.

M · FL · ACCIVS  
SI · E  
MIL · LEG · XXII

Malacarne cod. bibl. reg. Taur. misc. hist. patr. vol. 58; Biorci Aequi 1, 40. — Titulus a suspicione non est alienus; nam Biorcius sumpsit fortasse ex Malacarnianis.

1 ACIVS Mal. — 3 xxii Biorci, XX Mal.